



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

Vtrum Deo sit in omnibus obedientium? 4

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

præcipiendi. Secundo, quia infusio gratiæ & virtutum potest præcedere, etiam tempore, omnem actum virtuosum. Et secundum hoc neque tempore, neque natura est obedientia omnibus alijs virtutibus prior.

Ad tertium dicendum, quod duplex est bonum. Quoddam, ad quod faciendum homo ex necessitate tenetur: sicut amare Deum, vel aliquid huiusmodi. Et tale bonum nullo modo debet propter obedientiam prætermitti. Est autem aliud bonum, ad quod homo non tenetur ex necessitate. Et tale bonum debet homo quandoque propter obedientiam prætermittere, ad quam ex necessitate homo tenetur: quia non debet homo aliquod bonum facere, culpam incurrendo. Et tamen, sicut ibidem Gregorius dicit \*, Qui ab uno quolibet bono subiectos vocat, necesse est ut multa concedat, ne obedientis mens funditus intereat, si à bonis omnibus repulsa penitus ieiunet. Et sic per obedientiam, & alia bona potest damnum unius boni recompensari.

## ARTIC. IV.

*Utrum in omnibus sit Deo obediendum?*

549  
infr a. 5.  
co. & ad  
2. & qu.  
154. a. 2.  
ad 2. &  
2. d. 44. in  
expof. li.  
ad 7. &  
10. 2. co.  
4.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod non in omnibus sit Deo obediendum. Dicitur enim Matth. 9. quod Dominus duobus cæcis curatis præcepit dicens, Videte ne quis sciat. Illi autem exeuntes diffamauerunt eum per totam terram illam: nec tamen ex hoc inculpantur. Ergo videtur quod non teneamur in omnibus obedire Deo.

¶ 2 Præterea, Nullus tenetur aliquid facere contra virtutem. Sed inueniuntur quædam præcepta Dei contra virtutem: sicut quod præcepit Abraham, ut occideret filium innocentem, ut habetur Genesis 22. Et Iudæis, ut furarentur res Aegyptiorum, ut habetur Exodi duodecimo: quæ sunt contra iustitiam. Et Osee, quod acciperet mulierem adulteram: quod est contra castitatem. Ergo non in omnibus est obediendum Deo.

¶ 3 Præterea, Quicumque obedit Deo, conformatur voluntati.



voluntatem suam voluntati diuinæ, etiam in voluto. Sed non quantum ad omnia tenemur conformare voluntatem nostram voluntati diuinæ in voluto, vt supra habitum est \*. Ergo non in omnibus tenetur homo Deo obedire.

1.2.9.29.  
a.10.

SED contra est, quod dicitur Exod. 24. Omnia quæcumque locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum \* est, ille qui obedit, mouetur per imperium eius cui obedit: sicut res naturales mouentur per suos motores. Sicut autem Deus est primus motor omnium quæ naturaliter mouentur; ita etiam est primus motor omnium voluntatum, vt ex supradictis patet \*. Et idèd sicut naturali necessitate omnia naturalia subduntur diuinæ motioni: ita etiam quadam necessitate iustitiæ, omnes voluntates tenentur obedire diuino imperio.

ar.1 hu-  
ius quas.

1.2.9.9.  
ar.6.

Ad primum ergo dicendum, quod Dominus cæcis dixit, vt miraculum occultarent, non quasi intendens eos per virtutem diuini præcepti obligare: sed sicut Gregorius dicit 19. Moral. † Seruis suis se sequentibus exemplum dedit, vt ipsi quidem virtutes suas occultare desiderarent; & tamen, vt alij eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti.

cap.18. a  
medio.

Ad secundum dicendum, quod sicut Deus nihil operatur contra naturam; quia hoc est natura vniuscuiusque rei, quod in ea Deus operatur, vt habetur in glos. ad Rom. 11. \* operatur tamen aliquid contra solitum cursum naturæ. Ita etiam Deus nihil potest præcipere contra virtutem: quia in hoc principaliter consistit virtus & reſtitudo voluntatis humanæ, quod Dei voluntati conformetur, & eius sequatur imperium, quamuis sit contra consuetum virtutis modum. Secundum hoc ergo, præceptum Abrahæ factum, quod filium innocentem occideret, non fuit contra iustitiam: quia Deus est auctor mortis & vitæ. Similiter nec fuit contra iustitiã quod mādauit Iudæis, vt res Aegyptio-

Ad Ro.  
11. sup. il  
lud contra  
naturam  
infertus  
es, in glo.  
ord & su  
mitur ex  
Aug. lib.  
26. contra  
Faustum  
c.3. 10.6.

M m a rum



rum acciperent: quia eius sunt omnia, & cui voluerit, dat illa. Similiter etiam non fuit contra castitatem, præceptum Osee factum, ut mulierem adulteram acciperet: quia ipse Deus est humanæ generationis ordinator; & ille est debitus modus mulieribus utendi, quæ Deus instituit. Vnde patet quod prædicti nec obedendo Deo, nec obedire volendo peccauerunt.

Ad tertium dicendum, quod etsi non semper teneatur homo velle quod Deus vult; semper tamen teneatur velle quod Deus vult eum velle. Et hoc homini præcipue innotescit per præceptum diuinum. Et ideo tenetur homo in omnibus diuinis præceptis obedire.

## ARTIC. V.

*Virum subditi teneantur suis superioribus in omnibus obedire?*

550  
sup. q. 69.  
a. 3. ad 1.  
& inf. q.  
186. a. 2.  
cor. & 3.  
d. 25. q. 2.  
a. 1. q. 4.  
ad 3. &  
Rom. 13.  
69. 4. fin.

**A**D quintum sic proceditur. Videtur, quod subditi teneantur suis superioribus in omnibus obedire. Dicit enim Apostolus ad Colossen. 3. Filij obedite parentibus per omnia. Et postea subdit, Serui obedite per omnia dominis carnalibus. Ergo eadem ratione alij subditi debent prælati suis in omnibus obedire.

¶ 2 Præterea, Prælati sunt medij inter Deum & subditos, secundum illud Deuteron. 5. Ego sequer & medius fui inter Deum & vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba eius. Sed ab extremo in extremum non peruenitur, nisi per medium. Ergo præcepta prælati sunt reputanda tamquam præcepta Dei. Vnde & Apost. dicit ad Galat. 4. Sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum. Et 1. ad Thes. 2. Cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut verè est, verbum Dei. Ergo sicut homo debet Deo obedire in omnibus, ita & prælati.

¶ 3 Præterea, Sicut religiosi profitendo vouent castitatem & paupertatem: ita & obedientiam. Sed religiosus tenetur quantum ad omnia seruare castitatem